Chrzanowski Jan. Joannis: Quaestio physica.

QVÆSTIO PHYSICA.

Ex 8. Libris Aristot. de Physico auditu decerpta.

QVAM
Sub patrocinio Rendi & Excel. Dni
M. MELCHIORIS POREMBII,
Collegæ Maioris, Regij, & pro tempore Wladislawiani in Alma Academia Cracouie.
Philosophiæ Profess. ad S. Annam
Canonici.

SIMON JOANNES CHRZANOwski, Philosophiæ Auditor, publicè ad disputandum proponet.

In Collegio Maiori, Lectorio Galeni, Die
Hora Mens. Ianuar. Anno 1635.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Typographica Francisci Cæsarij.



Eſte procul nexæ gemmis auróq; coronæ,
Et de Trinacrijs florida ſerta roſis.
Nil opus eſt veſtro diademate, quippe dynaſta.
Felix; quem virtus, & benefacta canunt.
Stemmata pura nitent celebri pietate coruſca.
Perpetuum; Soleam nobilitatq; decus.

Wladiſlaus Lukowſki.

Perilluſtri & Magnifico Domino,

D. STANISLAO â Witow WITOWSKI,

Caſtellano Brzezinenſi, Capitaneo Bochnenſi, &c. &c. Domino & Patrono Ampliſſimo.

Salutem & felicitatem perennem.

QVÆSTIONEM DE ABDITIS rerum Naturalium principijs, cauſis, & affectionibus, expoſitã publico certamini, in nobiliſſimo totiꝰ Sarmatiæ Phrontiſterio, ad Te Perilluſtris & Magnifice Domine, Mæcenas ampliſſime mitto. Tuo illam potiſſimum Patrocinio ac tutelæ, inter cætera vel eo nomine demiſsè ſubijciens; quòd ineffabilium beneficiorum (vberrimè exhibitorum mihi ad latus Nepotum Tuorum manenti)gratum me ac memorem eſſe, vel hoc tenui ſcriptionis argumento, teſtari, ac euidenter omni-

bus demonstrare voluerim. Habemus quippè hoc omnes ferè à natura insitū, vt à quibus beneficia accipimus, quouis etiam officij & obsequij genere, eosdem colamus, obseruemus, ac veneremur. Equidē fateor ingenuè, hanc meam operā, inferiorē esse amplissima. Dignitate Tua, minusq; respōdere maturo Tuo iudicio, diuturnâ experientia rerum, cōparatę prudentiæ: sed quantulumcunq; tamen id est, quod per benigniorem culturam SOLEÆ Tuæ, in campo sterilis mei ingenij enatum est: id Tibi SOLI præcipuè à me deberi arbitratus sum. Excellenti igitur illo Tuo animo Amplissime Domine, hanc meam qualem qualem disputatationem suscipe: neq; quid Amplitudini Tuæ adeò conueniat, quàm quod à me præstari possit (submissè oro) diligenter expendas. Optimè in multa tempora vale, & viue feliciter, studiorum meorum Promotor Amplissime. Dat. in Castro Cracouiensi. Mense Ianuarij.

Jllustris & Magnif. D.T.

Humillimus Seruitor
Simon Joannes Chrzanowski.

QVÆSTIO
PHYSICA.

V. In Phyſicis: corporis Naturalis: tria numero principia: Cauſæ quatuor per ſe: & Paſſiones, Motus ſcilicet, Infinitum, Locus, Vacuum, & Tempus: rectè á Philoſophis aſſignentur, necne?

CONCLVSIO I.

Phyſica eſt propriè Scientia, eaq́; Speculatiua.

COROLLARIA.

1. Res Naturales in communi ſpectatæ, quatenus ſunt naturæ quædam ſpecificæ, quibus certæ aliquæ proprietates ſeu affectiones conueniunt, ſiue illæ exiſtant ſiue non, propriè cadunt ſub ſcientiam: quamuis vt ſunt ſingulares, includentes conditiones Indiuiduales, minimè.

2. Erroneam quorundam veterum sententiam, duos mundos dogmatizantium: quorum alterum vocabant intelligibilem, & in eo constituebant domicilium veritatis: alterum sensibilem, de quo tantùm opinionem esse concedebant, improbamus: cum clarè pateat ex Philosopho, esse aliquam scientiam de rebus sensibilibus, vt pote Physicam.

3. Non est necesse, disciplinam aliquam dici & esse scientiam, eo quod omnia quæ traduntur in illa, debeant probari per veras proprias & necessarias demonstrationes: multa enim sunt in singulis scientiis, quæ tamen rationibus probabilibus confirmantur: sed satis esse, vt sint multa, quæ per veras demonstrationes probari possint.

4. Speculatiua Scientia, cognoscitur ex fine, non quem sibi aliquis arbitratu suo præfigit, sed ad quem natura sua scientia ordinatur, vt Physica ad meram cognitionem: & ex obiecto, non operabili ab Intellectu humano, sed tantùm speculabili.

5. Magia naturalis, vt quæ ex rerum naturalium & abstrusarum cognitione, facit opera excitantia in hominibus admirationem, applicando actiua naturalia passiuis: qualis fuit Architæ Tarentini lignea columba, vi inclusi spiritus per aërem voli-

volitans, & Leonis Imperatoris, aues aureæ cantantes, & serpentes ænei sibillantes; est ars potius, quàm scientia: ac proinde nec pars Physicæ.

CONCLVSIO II.

Corpus Naturale, seu (inquit Zabarela lib: de Constitutione naturalis Philosophiæ) corpus habens naturam, spectatum sub formalitate Naturalitatis: bene statuitur in obiectum adæquatum vniuersæ Physicæ.

COROLLARIA.

1. Cùm trifariam Corpus consideretur à Philosophis, 1. pro corpore Mathematico habente trinam dimensionem, longitudinem, latitudinem, & profunditatem. 2. pro altera tantùm Substantialis compositi parte, materia scilicet affecta dispositionibus; uti sumitur in prima definitione Animæ ab Aristotele lib: 2. de Anima, tex: 6. posita. 3. pro toto composito Substantiali, constante materia & forma: à nobis Corpus obiectum Physicæ esse dicitur, tertio modo acceptum.

2. Substantiæ Immateriales (vt Angeli) non possunt esse Physicæ considerationis, nec secundùm

 sub-

substantiam, cùm sint omnino immateriales, nec secundùm motum, quia motus earum non est sensibilis, nec vllo modo Physico probari potest, sed tantùm aut Theologico aut Metaphysico.

3. Ens mobile, nequit propriè assignari pro obiecto Physicæ, cùm Ens latiùs pateat Physica: & Mobile formaliter sumptum, sit proprietas potiùs demonstrabilis de Subiecto, non autem illi intrinsecè & immediatè conueniens.

4. Etsi Corpus naturale, spectatum absolutè & secundùm se, quatenus nullum dicit ordinem ad suas species inferiores, sit obiectum partis Scientiæ, scilicet octo librorum de Physico auditu: spectatum tamen relatiuè, prout scilicet dicit ordinem ad suas species, Elementa, cælum, terram, ac cætera Corpora naturalia, rectè dici potest, esse obiectum adæquatum Totalis Scientiæ.

5. Philosophi non tam rebus & modo explicandi, quàm verbis potius dissident & inter se digladiantur in assignando obiecto Physicæ: cùm certum sit apud omnes Physicam versari circa rerum sensibilium & naturalium cognitionem, quatenus habent aliquod intrinsecum sui motus & mutationis principium.

CON-

CONCLVSIO III.

Tria ſunt rerum Naturalium principia formaliter inter ſe diuerſa reſpectu generationis, Materia, Forma, & Priuatio: duo tantùm realiter diſtincta, intuitu Compoſitionis, Materia ſcilicet & Forma.

COROLLARIA.

1. Inter principia rerum Naturalium duplex eſt oppoſitio, Priuatiua inter Formam & Priuationem, Relatiua inter Materiam & Formam, eaq́ Tranſcendentalis: qualis nimirum inter actum & Potentiam aſſignatur.

2. Ab Ariſtotele principia rerum Naturaliũ dicuntur prima contraria: non quod priuatiua oppoſitio ſit omnium maxima, (cum Contradictoria vt dictum & concluſum à nobis in Theorematibus Logicis Decade 2. ſit maior) ſed quod ex aliis non fiant, & ex ipſis omnia fieri ſit neceſſe.

3. Materia prima eſt ſubſtantia incompleta, puraq́ potentia, reſpectu actus formalis; tamen reſpectu actus Entitatiui, quem in ſe cohibet, habet veram & actualem exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ: & quamuis vi naturali non ſit

potens existere sine forma, vi tamen diuina optimè, idq́ sine nouo miraculo.

4. *Formæ naturales, quæ sunt actus simplices substantiales incompleti, vnum per se cum materia constituentes, non præexistunt actu in materia, sed educuntur de potentia materiæ per generationem, excepta anima rationali, quæ infunditur corpori organizato diuinitùs per creationem.*

5. *Priuatio neq́ est Ens reale & positiuum, cùm in conceptu suo essentiali significet negationem: neque est merum Ens rationis, cùm sit ante omnem intellectus operationem. Ergo formaliter & in recto, est negatio siue nihil, in obliquo autem includit Ens reale, nempe subiectum, tanquam quid extrinsecum, & extra suam rationem formalem.*

CONCLVSIO IV.

Rerum naturalium quatuor causæ per se, Materialis, Formalis, Efficiens, Finalis, à Philosophis recte assignantur: neq; temerè etiam his adijciuntur duæ per accidens, Fortuna, & Casus.

COROLLARIA.

1. *Materiæ Causalitas consistit tùm in receptio-*

ne

ne Formæ, tùm in constitutione Compositi: & illa quidem illi immediatius conuenit, hæc verò principalius. Formæ verò Causalitas, immediatius est in ordine ad materiam, principalius in ordine ad Cõpositum. Porrò Causalitas Materiæ in ordine ad Formam & Compositum, vna est realiter, distincta ratione: similiter & Formæ, quæ dat esse Composito, non effectiuè, sed formaliter communicando illi Entitatem suam.

2. Causalitas Efficientis, est ipsa actio per quam agentia Naturalia non tantùm disponunt materiam, sed etiam producunt formam substantialem: cum quibus tamen prima causa cõcurrit ad omnes effectus Naturales producendos, non tantùm immediatione virtutis, sed etiam immediatione suppositi; ita vt deficiente Dei Concursu, nulla creatura quidquam posset operari.

3. Ratio Causandi finis, posita est in hoc vt sit id cuius gratia fit aliquid. Causat finis secundùm esse reale futurum, quod tamen debet apprehendi: ita vt ratio Formalis per quam finis causat & finalizat, sit ipsum esse reale, conditio autem sine qua non, sit esse apprehensum, si agens est per cognitionem: vel inclinatio Naturalis ad finem, si est agens solum per Naturam.

4.

4. Idæa, neq; ad Materialem, neq; ad causam Finalem benè tamen ad Efficientem & Formalem reuocari potest, diuersa tamen ratione, ad vtramq; pertinens. Instrumenta autem ad causam Efficientem reuocanda sunt, cum adiuuent agens principale, sintq; quædam conditio illius.

5. Fortuna est Causa per Accidens, in iis quæ operantur ob aliquem finem ex electione, neq; semper neq; vt plurimum. Casus non differt à Fortuna, nisi quod hæc sit in agentibus per Intellectū; ille autem in agentibus sine Intellectu: vnde illi conuenit definitio Fortunæ, excepta particula, ex electione.

CONCLVSIO V.

Prima, Communissima, & Nobilissima Passio Corporis Naturalis est Motus: de hac 3. 5. 6. 7. 8. Physic. Aristot.

COROLLARIA.

1. *Definitio ab Aristot. lib. 3. posita,* Motus est actus Entis in potentia prout in potentia, *generica est, conueniens non tantùm motibus successiuis, sed etiam instantaneis, Motus enim propriè dictus, Est transitus à termino positiuo ad terminum positiuum seu actus Entis in potentia prout in*

poten-

potentia, inter terminos positiuè oppositos: cuius tres species, Alteratio scilicet, Accretio, & Localis motus. Mutatio verò propriè dicta, nil est quam via & transitus à termino priuatiuo ad positiuum, vel contra à positiuo ad priuatiuum. Habet duas species, Generationem & quãdam Alterationem: si tamen Alterationem sub ea formalitate consideres, qua ex priuatione Qualitatis fit transitus ad Qualitatem.

2. Vnitas Specifica Motus, petenda est ab vnitate specifica termini ad Quem. Vnitas autem Numerica motus, requirit vnum numero subiectum, vnum numero Tempus, & vnitatem Numericam termini ad Quem & à Quo. Porrò acquisitio termini ad Quem, & abiectio termini à Quo, vnum numero motum constituunt.

3. Motus ab Actione & Passione non distinguitur realiter, cùm sit res eadem; sed tantum penes diuersos conceptus essentiales. seu formaliter cùm nihil sit distingui formaliter, quàm distingui essentialiter. Motus sumptus formaliter, vt est via & tendentia ad terminum, in nullo directè prædicamento collatur, sed reuocandus ad prædicamentum sui termini.

4. Motus localis subiectatur in mobili, cum modus inesse debeat suo modificato, & non possit existere sine illo. Instantaneus motus localis cum manifestam inuoluat Contradictionem, ne virtute quidem diuina dari potest.

5. Motus directus & reflexus media quiete interrumpitur vt plurimum; (probabile enim est iuxta Medicorum sententiam, Sistolen & Diastolen seu dilatationem & restrictionem cordis in puncto reflexionis, insensibiliter quiescere, cum sit ad naturæ leuamen: nimis enim esset operosum, per totam vitæ seriem, hunc motum continuari) ac ob id etiam duos numero Motus constituunt.

CONCLVSIO VI.

Inter alias Passiones rerum Naturalium Infinitum numeratur ab Aristotele 3. Physic.

COROLLARIA.

1. Cùm Physicus versetur circa Motum, Tempus, & Quantitatem, & hæc tria necesse sit esse finita vel infinita: idcirco ad eum pertinet considerare, deturne Infinitum actu, necne?

2. Infinitum si vim vocis spectes, nihil est aliud quàm

quàm id quod nullum finem habet, seu quod protenditur vltra omnem terminum. Et cùm duplex sit: 1. in genere Entis, ita vt omnes omnium Entiũ perfectiones comprehendat, non tantùm eorum quæ sunt, sed etiã quæ esse possunt: quale Infinitum est Deus Opt. Max. 2. in certo genere Entis, puta aut Qualitatis, aut Quantitatis, aut alterius Prædicamenti: de hoc posteriori tantùm inquirere, est muneris & officij Physici.

3. Nullum Corpus Infinitum Actu & Categorematicè, neque secundùm magnitudinem, neque secundùm multitudinem, tam rerum materialium, quàm immaterialium dari potest in mundo: bene tamen dari potest in rebus Naturalibus Infinitum potentiâ & Syncategorimaticè.

4. Aliquod Infinitum posse produci, diuina & supranaturali vi, in certo & determinato genere Entis, nullam implicat Contradictionem, cùm à Deo cognoscatur distinctè vt possibile: neque verò minus est potens, Omnipotentia eius ad producendum, quàm Intellectus ad cognoscendum.

5. Nullus Intellectus creatus, neq; Angelicus, neq; humanus potest distinctè Infinita in seipsis cognoscere, neq; simul neq; successiuè finito tempore.

CONCLVSIO VII.

Locum & Vacuum, eodem nexu conſociantes, adnumeramus cæteris Paſſionibus Phyſicis : cùm Vacuũ nihil ſit, quàm Locus, ſeu potiùs ſpatium priuatum corpore, aptum tamen repleri : de his Philoſophus 4. Phyſic.

COROLLARIA.

1. *Locus formaliter eſt ſuperficies corporis continentis, ita vt ſuperficies ſit eſſentialis loco, corpus autem continens, ſit cõnotatum quoddam. Immobilis, nec per æquiualentiam, nec per diſtantiam ad centrum & polos mundi, ſed eſt immobilis mobilitate vaſis, non quia non poſſit moueri, ſed quia non eſt eo modo mobilis quo vas eſt mobile, quod ex ſua natura defert id quod continet.*

2. *Nec Cælum vltimum propriè dici poteſt eſſe in loco : nec duo corpora naturaliter poſſunt eſſe in vno eodemq́ loco : quamuis per ſupernaturalem Dei potentiam, poſſint eſſe per penetrationem : quod patet in Chriſto Saluatore aſcendente ad Patrem, & cæleſtia corpora penetrante. Per eandem Dei potentiam etiam vnum numero cor-*

pus,

pus, posse esse in pluribus locis, cum non inuoluat repugnantiam, cum schola Nominaliũ concedimus.

3. Vacuum, naturæ viribus non dari, & abhorrere illud naturam, propter vnitatem vniuersi conseruandam, & Influxus Cæli recipiendos, Philosophus lib: 4. Physic: probat: illud tamen per Diuinam potentiam fieri posse, omnes vno ferè sensu fatentur.

4. Dato Vacuo certis aliquibus terminis circumscripto, quale eßet, si V. G. inter cælum & terram, omnia corpora Deus destrueret, in eo poßet eße motus localis isq; successiuus non instantaneus.

5. Motus corporum grauium & leuium, contra naturam & propriam inclinationem sursum aut deorsum, ad replendum vacuum: fit, non à qualitatibus occultis, aut à propria forma, sed à tractione, immediatè causata à corpore recedente.

CONCLVSIO VIII.

Vltima Paßionum conueniens rebus Naturalibus est Tempus, de qua Aristoteles 4. Phys:

COROLLARIA.

1. Cùm natura Temporis, nequeat satis intel-

 ligi,

ligi, absq́ cognitione præuia Durationis, vt pote quòd sit species eius: ideò aliqua de ea in communi attingenda. Et quoniam tria in quolibet Ente reperiuntur, Essentia, Existentia, & Duratio, hæc autem tria, ita inter se sint affecta, vt secundum supponat primum, & tertium secundum. Duratio in communi, nihil erit aliud, quàm modus quidam Existētiæ, formaliter vel modaliter ab ea distinctus.

2. Pro ratione diuersa Existentiarum, à Philosophis diuersæ quoque numerantnr species Durationum; vt alia sit rerum habentium existentiam permanentem; alia successiuam. Et rerum quidem permanentium: quædam sunt, in quibus essentia non distinguitur ab existentia, vt est Deus Opt: Max: & huius Duratio dicitur Æternitas. Aliæ, habentes quidem esse ab alio, indeficiens tamen & inuariabile (vt Angeli) & harum Duratio dicitur Æuum. Aliæ denique res permanentes sunt intrinsece corruptibiles, quæq́ incipiunt & desinunt esse vt sunt Substantiæ corruptibiles. Qualitates &c. & hæ propriè dicūtur mensurari Tempore; sicut & res habentes Existentiã successiuã, qualis est Motus.

3. Tempus, non existit tantùm per imaginationem, sed est Ens reale formaliter & non fundamen-

taliter

taliter tantùm : non distinguitur à motu realiter, non est tamen ipse motus formaliter : non pendet ab Anima, secundùm suam essentiam considera-tum, tamen secundùm communem hominum acceptionem, hoc est quatenus est mensura distincta in plures partes assumpta ad mensuranda omnia corruptibilia, pendet ab Anima.

4. Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Æuum autem est Entis creati stabiliter & permanenter se habentis Duratio. An verò præter has tres species recensitas, adijcienda sit quarta, puta Tempus discretum, ad metiendas operationes Angelorum Naturales, Theologis disputandum relinquimus.

5. Tempus secundùm suam essentiam, non est vnum numero sed multiplex, est tamen vnum in ratione mensuræ spectatum : est quid Continuum, continuatur enim Instantibus, sicut Motus mutatis esse : in nullo Prædicamento reponitur propriè, sicut enim Motus spectat ad varia Prædicamenta, pro varietate terminorum ad quos tendit, ita & Tempus, cùm sit duratio Motus, ad varia Prædicamenta pertinere debet.



Sub felicibus auſpicis Magnifici & Admodum
Reuerendi Domini,
D. IACOBI NAIMANOWICZ,
I.V. Doctoris & Profeſsoris. Canonici Crac:
Archidiaconi Pilecenſis, &c, Rectoris
Academiæ Crac. Generalis.

Chrzanowski Sim. Joannis

Quaestio physica ex V libro Aristotelis

de physico auditu decerpta.